



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

B. Aloysius Gonzaga Soc. I. C. 21. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

semper in cælum collimans unicum scopum suum, sed Christiano homini, ut non aberret, satis magnum. Et talis ille etiam duravit, postquam Collegio Canonicorum adscriptus fuit, nisi quoddam tunc, ut alii nummorum, ille virtutum potius censum augetet. Dignum ergo tunc Superi judicant, cui D. Brigittæ ortum non sine miraculo nuntiarent. Visa enim est precanti HEMMINGO puella è nube lucidâ librum apertum orbi porrigere, & vox ad aures ejuscemodi allapsa: *Nata est Birgero filia, cujus admirabili voce uniuersus mundus personabit.* Sed & ipse HEMMINGVS pro concione saxa molire, & ad DEVM feros animos voce suâ trahere, & jam Regibus etiam ac Pontificibus reprehensione aures vellicare; omnes intereâ orationes incipere à VIRGINIS laudibus, & suis scilicet finire. Temporis avarus ad verba otiosa mutus adfuit, ad epulas verò Tantalus. Pro oculorum portis excubabat, ne has ulla femina visa subiret, erantque tam sanctis vigiliis tessera illa verba è sacris nostris: *Averte oculos meos, ne videant vanitatem.* Inter preces sæpè aliò, moriens denique inter easdem in cælum est abreptus. *Ex Vite Aquil. Vastovii.*

Deuste, qui caelestem tibi Patrem vocas, ad caelestem vult tendere naturam, ut generi tanto vitâ respondeat; ne terreni mores degenerent, quos caelestis domavit & contulit natura. S. Pet. Chrysol. serm. 69.

B. ALOYSIUS GONZAGA

Soc. I. C. 21. Junii.

MORITURUS ALOYSIUS nascendo erat, si non parienti matri Mater MARIA affuisset. Inter prima ejus verba JESVS & MARIA feruntur, boni ominis. Puerulus etiamnum in singulis scalarum

gra-

22. Iunii.

VITÆ SANCTORVM.

313

gradibus scalam cæli MARIAM salutavit. Hujus horas quotidie, Sabbatho etiam jejunos dixit. Ad hujus effigiem, quam Florentia ANNUNTIATÆ titulo colit, florem virginittatis consecravitt, semper, dum vixit, intactum, quia HORTO CONCLUSO commiserat. Interim catenas flagelli, calcaria cilicii loco, quamvis currenti spontè, corpusculo admovebat, victus vix unciam appendebat, feminarum & chorearum hostis, Imperatricem, quam tres annos quotidie adibat, nunquam aspexit, precibus tam ubique addictus, ut loqui eum angulis dicerent, rectius Angelis dicturi. Aiebat frequenter: *Non videre se, cur non mortales omnes religioni se manciparent.* Et certè Senis cum ad Sodales Marianos diceret, bene multis id persuasit. Ipse, cum ASSUMPTÆ VIRGINIS die illa è cælo audisset, *Societatem JESV ingredi*; post longas cum patre pugnas, MARIÆ JESVM junxit. Hunc, quoties stude- ret, in genua provolutus vocare; hunc sub panis velo latitantem ante & post ludum literarium salutare; sacrificiis quinque senisve minister assistere, ad conspectum HOSTIÆ lacrimis manare; cum verò eo epulo frueretur, inundare etiam. Itaque nullius noxæ gravioris sibi conscius Angeli nomen meruit; ut terra cælum dici posset, si plures Aloysios haberet. *Ex Virg. Cepario.*

Persuasum habe, perinde te Angeli ductum sequi oportere, atque cacum quempiam, qui viarum discrimina ignorans, ejus, qui baculo gressum illius regit, providentia in omnibus confidit. Ex dictis B. Aloysii.

SS. ACHATIUS & SOC. MM. 22. Iunii.

Quale illud cælo spectaculum fuit, cum dena hominum millia, pro optimâ causâ & ampli-

O

fican-